DISPUTATIO JURIDICA, DE INTERPRETATIONE LEGIS RESTRICTIVA,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Quam
AUSPICE DEO TER OPTIMO MAXIMO,
ex conſenſu
NOBILISSIMÆ ET AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,
IN ILLUSTRI LIPSIENSI,
Sub Præſidio
VIRI
Admodum Reverendi, Excellentiſſimi & Conſultiſſimi.
Dni. FRANCISCI ROMANI, J. U. D.
& Profeſſoris Publici celeberrimi, Canonici Martisburgenſis Curiæ Electoralis, ut & Facultatis Juridicæ Adſeſſoris graviſſimi, nec non Academiæ hujus Syndici ſpectatiſſimi.
Domini Patroni & Præceptoris ſui omni obſervantia ætatem proſeqvendi,
Publicæ cenſuræ ſubjicit
ADAM-SAMUEL Freyſtein.
Ad diem [redacted] *hor. antemerid.* 6 Maji
In Collegio Petrino.

LIPSIÆ,
LITERIS RITZSCHIANIS.
Anno M DC LI.

V I R I S.

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS ET CONSULTISSIMIS

Dno. PHILIPPO LOCHMANN, Hæred. in Böſitz/Bleſſe und SchönEiche/ JCto celeberrimo, Ser. Elect. Sax. in Judicio Appellationum Conſiliario, & Curiæ Provincialis in inferiori Luſatia Aſſeſſori digniſsimo.

Dno. AUGUSTINO STRAUCHIO, JCto & Profeſſori Publ. in Illuſtri Wittebergâ clariſsimo, Supremi Appellationum Judicii Dresdenſis, ut & Curiæ Provincialis VVittebergenſis, Facultatis Juridicæ, & Conſiſtorii Electoralis Aſſeſſori, nec non Conſiliario Anhaltino graviſsimo.

Dno. BURCHARDO BERLICHIO, Hæred. in Wegefahrt/ JCto & Ser. Elect. Saxon. Conſiliario, intimæq; Cameræ Secretario meritiſsimo.

Dno. JOHANNI SCHEDIO, Jurisconſulto & Practico ſpectatiſsimo.

Dno. JACOBO METZNERO, Hæred. in Marck Kleeberg/ JurisConſulto & Reip. Lipſienſis Conſuli ampliſsimo.

Dominis Patronis & Promotoribus ſuis omni obſervantia ſubjectiſsimè colendis

Diſputationem hanc legalem in ulteriorem ſui recommendationem humillimè

dat, dicat, conſecrat

Adam-Samuel Freyſtein/

A. & R.

IN NOMINE MAGNI DEI ET SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI. N.89

A qvo omnes dependent Legiſlationes, & in eum reſpiciunt, *N.109.* ad omnia conſilia actusq; ſemper progredimur. *l.2.C.de off.Praef.Prator.Affric.*

Positio I.

QVam verè Div.Imp. JUSTINIANUS *in Praef.N.69.* & *163.* dicit: Unam eſſe omnium perfectisſimam virtutem, qvæ jura omnibus diſtribuit. Utpote qva præter Deum nihil majus exiſtat. *N.164.* Tam rectè qvoq; dictum à Prædeceſſoribus ſuis, & ante omnes, á ſapientisſimo, *l.2.§.18. C.de V.J E.* diſertisſimo *l.5.C.de bon.qv. liber:* & maxumæ authoritatis JCto Juliano: Nihil in omnibus rebus tam ſtudioſum inveniri, ac Juſtitiæ authoritatem, qvantocunqve perpenſo qvoqve conſilio lex aliqva videatur promulgata. *In.pr.de confirm.*|*Digeſt.l.10.D. de LL. N.74.*

II. Nam & volubile hoc humanum novas edere formas continuè deproperat. *N.7.c.2.* in infinitum decurrit *N.49.* Adeò ut qvi in hanc rerum mutationem intentum habent animum, non facilè multitudinem legum culpent, qvas conſonas cauſis ponere, nova ſemper depoſcit neceſſitas. *N.60.* Et proclivis ab adoleſcentiâ ad malum humanus ſenſus ſemper ſic declinat, ut nihil tam firmum ſtatui poſſit, qvin ex cauſis emergentibus in dubium revocetur. *d.N.7.c.2. Praef. Clement.*

III. Dictum ſæpè in legibus procemium *N.84.* cujus exempla omnium temporum ſcriptores produnt. Etenim non ſaltem ſub priori ſeculo, & rudiori ævô hoc factitatum comperimus, ſed & poſterior ætas nô ſterilis exempli fuit. Inter antiqvôs celebrabâtur ju-

ra qvæ Cretenſibus Minos, Spartanis Lycurgus præſcripſerant. *Tac. 3. Annal.* Sed Minoi, qvo minus ſuæ mutarentur leges, non profuit lex, in qva de lege ne diſputetur cavuit, *Plato de LL.* De Lycurgo fertur, Eum ſpontanea inedia mutationem ſuarum legum in ſe ipſum vindicaſſe. *Tertull. in Apologet.* De Romano jure qvota non undiq; hujus rei documenta? Nam & inibi non ſaltem perpetua qværendi materia erat, dum Romuli libita, vel poſt curiatæ leges valebant. *l. 2. D. de O. J.* vel dum Numæ Pompilii Ægeriæ conſultationes venerabantur. *Livius lib. 1.* Sed & qvæſitioribus poſtmodo inſtitutis, & accitis qvæ usqvam egregia, *Tacit. 3. Annal.* adhuc ſemper qvid ſupererat ſeditioſum qvod ex his qvæ e natura rerum per ſingula moliuntur, legislationibus introduceret aliqvem tumultum, & exin (ut inqvit Imp.) gubernativa ſapientia indigeret. *N. 49. 84. 98. In pr. de confirm. Digeſtor. §. 1.*

IV. In hac gubernativa ſapientia ab antiqvo deſcendit, ut ſi qvid poſitum in lege non adinveniretur (qvemadmodum id evenire neceſſe eſt *arg. l. 4. D. de præſcr. verb.*) illud ad juris ſcripti regulas ejusqve conjecturas, & imitationes, vel interpretatione, *arg. d. l. 2. §. 18. C. de V. I. E. l. 10. 11. 12. 15. 18. 26. D. & l. 1. 5. 9. 12. C. de LL.* vel ſi ea expreſsè haberi neqveat, optimi Principis conſtitutione decidatur. *l. ult. C. de LL. l. 1. D. de conſt. Princip. N. 105.*

V. Principis nunc qvod attinet deciſionem, ea tanqvam ſupremum ſervabatur remedium; Hinc primum circa leges interpretandas verſabatur ſtudium, qvo ſcilicet modo eæ leges, qvæ in ſingulos caſus conſtitui non poterant. *arg. l. 8. D. de LL.* ita intelligendæ, qvo caſus emergens ritè decidatur. Atqvi dum omnes de iisdem ſic extendendis laborarent, evenire qvoq; ut lex nō minùs reſtrictione, qvàm extenſione indigeret. Factum inde, ut cum unica ſaltem re verâ eſſet interpretatio, ejusdem duplices tamen conſtituerentur ſpecies, qvarum una Extenſiva dicta, altera Reſtrictiva. De qva poſteriori pauca differere animus eſt. Qvâ difficillimam, & teſt. Suthold. *ad Inſtit.* & Zaſio *in lib. intell. Jur. ſing.* ſagaciori ſtudio dignam materiam, ſi fortè minꝰ dignè tractavero, humillima tamen ſpe lactor, Lectorem benevolum & auſum hunc qvalem qvalem benevolè interpretaturum.

In-

VI. Interpretatio potiſſimum dupliciter ſumitur, vel ſtrictè vel latè. Strictè pro congrua verborum declaratione qvando ſcilicet dicta vel ſcripta exponuntur aliis verbis, qvæ idem valent. *arg. l.1. in fin. D. de V. O.* Latè; pro legis modificatione, id eſt, ut dictum, qvando leges ratione caſuum incidentium qvis explicat *arg. l.1. §.6. D. ad SCt. Trebel.* In priori Grammatica, in poſteriori juridica magis eſt interpretatio. Eberh. *in loc. arg. legal. loc. 79. n. 4.* Sim. de Prætis. *de interpr. ult. volunt.* Förſter. *de interpret. lib. 2. c. 4. n. 1.*

VII. Et qvamvis non ignorem Dd. triplicem ſtatuere interpretationem. Declaratoriam, Extenſivam & Reſtrictivam, imò plures ſecundum Cæpoll. Salicet & alios. Forſt. *d. tract. lib. 1. c. 1.* Nihilominus tamen vix credam unqvam, nuda legum verba JCtos interpretatos eſſe, qvin potius lex pro caſubus emergentibus explicetur. Sic enim ſunt verba *l. 2. §. 5. D. de O. J. cæperunt inde interpretationes prudentum,* & paulò poſt: *cum diſputatione fori.* Tales crebræ iſtæ collationes, qvarum mentio fit *in l. fin. D. pro legat. l. 78. §. ſi fundus D. de jure dot. l. 32. de O. & A. l. 19. D. de lib. & poſthum. l. fin. §. mixta D. de M. & H.* Cujusmodi qvoqve diſceptatio apud Livium lib. 3. in lege qvæ tuendis Trib. Plebis lata, videre eſt, ad qvem autorem me brevitatis cauſa remitto.

VIII. Manet inde qvidem ſpecies Interpretat. Declarativa interpr. In qvâ Seb. Medic: diſtinctionem facit inter Scholium, Gloſſam, Methodum paratitlarem & Commentarium, *p. 3. qv. 16.* Attamen cum vix ac ne vix qvidem doctrinam ſolidioris Jurisprudentiæ doceat, utpote qvæ ſic conſiſteret in deciſione merorum individuorum, ut ſcite Gribald. *de rat. ſtud. Jur. lib. 1. c. 4.* meritò JCti non in declarativa permanſerunt, ſed potius ut legum ratio ad caſus alios decidendos nos inducat.

IX. Hæ inductiones dū dupliciter fiunt vel extēſivè vel reſtrictivè, illa qvæ extēſivè fit definitur à Dd. Legis ſcriptæ ad caſꝰ ſimiles, qvi qvidem non expreſſi, ex ratione tamen colligi qveunt, facta extenſio. Hæc verò: Legis ex ſententia anguſtiore facta reſtrictio. Suthold *in colleg. ad Inſt. diſp. 1. Tb. 14.*

X. De Reſtrictivâ acturus, eandem divido in bonam, & malam. Bonam dico: qvando non plus in lege dictum putatur, ac dictum

ctum eſt. Malam econtra: qvando minus in lege poſitum putatur, de qvâ in Th. 36. nonnulla exempla habebimus.

XI. Utraqve cognoſcitur ex duabus legis partibus, verbis & ratione. *arg. l. 17. D. de ſi.* Et ex hâc qvidem, qvatenus conſideratur intentio in hanc vel illam rem directa. Ex illis, qvatenus conſiderantur ut inſtrumenta, intentioni ei ſubſervientia *arg. l. 7. D. de ſupell. legat.*

XII. Duplex hinc conſideratio in interpretatione, tâm verborum, qvàm mentis. Qvæ interpretatio ſi exactius loqvi vellemus, propriè unica eſſet. Ea ſcilicet qvæ ex ratione eſt. Cùm & verba non aliter conſiderentur, niſi qvatenus rationem aliqvam præ ſe ferunt. Videatur Mattheacius *de via Jur. l. 2. c. 1.*

XIII. Cui ſimilis qvoqve eſt verborum & rationis convenientia, diſcrepantia, & mutua excesſio, qvas adducit Seb. Medices *in tr. de LL. & poſt iisdem verbis* Steph. de Pheder. *in lib. de interpr. Legum ſub initio.* Nam eum verba proferantur propter mentem, ita ut λόγος ἐνδιάθετος tranſeat in λόγον προφορικὸν; ſeqvitur neceſſariò non valere, aliter ſcriptam, aliter in opinione eſſe. Neqve exceſſio locum habet. Etenim cum verba, ſi non alia ratio patet, omni modo obſervanda ſint, ex ſumma iſta ratione, nõ aliter qvem ſenſiſſe, ac verbis expreſſit. *arg. d. l. 7. de ſupell. leg.* Et econtra ſi de ratione conſtat, ea potisſimũ ut finis legum obſervanda venit. *arg. l. 19. D. de C. & D. l. 31. D. de V. O.* Sebaſt. Med. Steph. de Phed. *dd. LL. loc.*

XIV. Hinc explicatur graviſſima & Cyni ſpiritum turbans (ut ipſe loqv: *in l. 1. C. qv. ſit long. conſu.*) *lex 12. D.* Qvi & à qvib. manumiſſ. Nam ſenſus qvidem potior mente *arg. l. 19. D. adim. vel transf. leg. l. 19 D. ad SCt. Trebell.* Hinc verba *in l. 59 D. de re judic. licet non adjecerit. in l. 6. §. qvamvis D. de Jure Patron. qvamvis nulla perſona excipiatur. in l. 13. §. 2. D. de excuſ. etſi intellectum hunc habeat,* & qvæ plura *in l. 77. §. 26. l 88. §. 16. de legat. 2. l. 11. D. de in jus voc. l. 41. de jur. dot l. 4. D. de fund dotal. l. 16. D. de ſponſal. l. 21. D. de teſtam. milit. l. 81. d. R. J.* Aliàs enim meritò fieret, qvod de nimia & miſera Juriſperitorum diligentia conqveritur. Titius iſte apud Scœvolam *l. 88. §. 17. de legat. 2.* Sed potius Ulpiani iſtud obtineat, ſummam eſſe rationem, qvæ pro æqvitate facit. *arg. l 4. D. de eo qv. cert. loc. l. 45. D. de R. & S. F.*

Atta-

XV. Attamen ſic intelligendum eſt, ſi de mente expreſsè conſtet, ut in *l fin. D. de hæred. inſtit. l. 15. C. de Fideic. l. 34. §. 7. de legat. 2.* Aliàs in re dubia nil melius qvam id qvod verbis exprimitur. *arg. l. 25. 63. 69. de leg. 3. l. 64. 89. D. ſol. matrim. l. 125. d. V. S.* Ita lex qvamvis dura ſervanda, qvia ita ſcriptum eſt. *arg. d. l. 12. D. Q. & A. Q. M.* Nec Magiſtratus humanior eſſe debet, lege. *N. 82.* Dn. Carpzov. *in Jpr. Rom. Saxon. p. 2. C. 10. d. 15. in qvæſt.* An Pater, lib. ſuor. pecul. adventitii uſufructu privatus, & ſucceſſione privetur, ſic an tacita pupillaris ſubſtitutio excludat matrem. *p. 3. C. 8. d. 2.*

XVI. Eandem fermè rationem habet, tritiſſima iſta, & teſte Hortled. *in p. b. d. l. habita diſputatione* nunqvam ſat explicata lex *20. D. de LL.* Qvæ rationem juris non ſemper dari poſſe docet. Nam lex 20. loqvitur de ratione ſingulari, qvæ tam ſtrictè non inqvirenda, ſeu ut inqvit Hilliger. Don. Enucl. *1. comm. 14.* inqvirenda qvidem, ſed ne qvis animum inducat, non prius parendum eſſe legi, anteqvam rationem ejus qvis perſpexerit. Gamm. *de verit. ſcient. Leg.* Ehem. *de princip. Jur. lib. 7. c. 17.*

XVII. Atqvi ſicut communiſſimè reſponderi ſolet, obiter hic notem ab Anton. Fabr. diſtingvui inter jus receptum & conſtitutum, tanqvam hujus ratio non inqviri poſſit, altera verò poſſit. *in Jprud. Papin. lib. 1. pr. 2. illat. 5. & in Rational. ad leg.* Qvem tanqvam contra jura loqventem irridet Bachov. *in πρώτοις adverſus rational.* Fabri. & poſt Hilliger. in Don. Enucl. *1. com. 14. in not. lit. H.* Sed (ſalvo tantorum Virorum judicio) non tam abſona mihi Fabri videtur ſententia. Nam qvod Bachovius & Hilligerus regerunt, & conſvetudinem jus receptum dici, neqve tamen ſemper de ejus conſtare ratione, *arg. l. 39. D. de LL.* Reſpondet ipſe Faber *in d. Jprud. tit. 1. pr. 2. illat. 5. & tit. 2. pr. 6.* & optime *tit. 2. pr. 11.* Legem illam 39 non eſſe intelligendam, qvod jus aliqvod contra rationem introductum, valere debeat, ſed potius qvod valor tali juri denegetur, dum in aliis ſimilibus caſubus non obtinet. Secundò etſi & conſvetudinis alicujus ratio nos lateat, non tamen Faber præcisè jus receptum ratione conſtare affirmat, ſed qvod in plerisqve conſtet unde receptum. In iis verò ubi errore qvid introductum, diuturnitas temporis loco conſtitutionis eſt, ut inqv. *Fab d. pr. tit. 1.* Unde & JCtus *in d. l. 39.* uti-

tur

tur vocat: *conſtituto, eorum, qvæ conſtituuntur. in d. l. 39.* verbo *obtento, non recepto.*

XIIX. Obvenit hic & alia qvæſtio, utrum JCtis hâc tempeſtate leges interpretari conceſſum ſit? Negat Albericus de Roſate & qvi plures allegantur à Förſter. d. tr. de Interpret. Affirmantium placet ſententia cum d. Förſter. Neqve obſtat Principis poteſtas, qvi eandem & JCtis permiſit. *arg. l. fin. C. de LL. l. 11. D. eod.* ibiq; Ant. Fat. in Ration. & Ipr. Papin. *tit. 2. pr. 2. illat. 3.* Förſt. *d. l.* Hilliger Don. Enucl. *1. comm. 13. lit. E.* Diſtingvendum tamen cum Vultejo *in §. 9. Inſt. de J. N. G. & C.* inter interpretationem, qvæ fit jure legis, & qvæ nudæ conſultationis ergò proponitur, citra effectum neceſſariò obſeqvendi.

XIX. Et hæc utrum admittenda interpr. ad formam reſtrictivæ ut progrediamur, ſit ea, ut crebro dictum ex verbis & ratione. Seu qvod magis valet, tantum ex ratione. Pro qva univerſalis apud interpretes juris regula habetur. Omnia verba legis, qvantumvis generalia reſtringenda ſunt ad id qvod rationis eſt, & ne diſponentis intentionem ac ſenſum egrediantur. *arg. l. 47. D. de pact. l. 3. §. 1. l. 5. l. 9. l. 12. D. de trāsact. l. 21. §. 6. D. de recept. arbitr. l. fin. D. de C. l. l. 10. C. fam. erciſc. l. 21. C. ad SCt. Vellej.* Eberh. à Middelb. *in loc. argum. de reſtrictione. n. 3.* Goedd: *ad l. 6. §. 1. de V. S.*

XX. Sed ad hanc rationem cognoſcendam variæ dantur circumſtantiæ, qvarum qvatuor ponit Hilliger. *D. E. 1. com. 13.* I. ex æqvitate. II. alia lege. III. parte legis IV. & ratione legis. Videantur præter ſupra allegatos, Bolognetus *ad l. 6. D. de J. & I.* Achill. Pedroceha *in tr. de reſolut. contract. & in tr. de dividuo & individuo.* Dnus Franzkius *in not. ad 25. libr. priores Digeſtor.* Dn. Hahn *in Exercit Theoretic. practic. ad Paratitl. WVeſembecii.* Coraſius *de Jur. Civil. in art. redig. lib. 1. c. 19.* Dn. Eichel *in diſp. de interpret. legis.*

XXI. Cæterum an qvatuor hæ partes ubiqve ſufficientes ſint, non video; Et primam qvidem partem qvod attinet de Æqvitate, ea ſanè planè impertinens mihi videtur. Nam aut æqvitas conſideratur, qvatenus ex lege devenit, aut qvatenus aliàs communis & ſic à ſcripta lege diverſa eſt. In priori caſu æqvitas non manet ſub generali ſignificatione, ſed potius dicenda erit

ra-

ratio legis. In poſteriori pro cerebrina habetur, cum id ſervandū qvod ſcriptum eſt. Nec JCtis permiſſum Legem ſibi fingere, ſed interpretari, quo in caſu ratio legis conſideranda venit, qvæ ſi nō adſit, lex obſervanda aut ſuperioris autoritas reqvirēda eſt. Prout ſibi ferme contrarius videtur Förſterus in d. tr. de interpr. *l. 2. c. 3. n. 4. & 15. junct. n. 20. & 21. vid. Th. 14. &* 15.

XXII. Secundam, tertiam & qvartam partem qvod attinet, eadē mihi videntur. Etenim ratio ſumma cujuslibet legis, ut non de particula reſpondeatur, ſed tota lege perſpecta *arg. l. 24. D. de LL.* Atqvi qui leges reſtringere tentat, jam dum ſcire debet, qvæ jura in hoc vel illo caſu promulgata ſunt. Non igitur reſtrictio in iſtis facienda eſt terminis, ubi de alio expreſſe deciſo conſtat.

XXIII. Aliam igitur formam cognoſcendæ rationis ſtatuo, & qvidem ratione circumſtantiarum in qvolibet facto. Qvod tripliciter conſideratur, I. ratione ipſius facti, II. ratione perſonarum, qvæ tam agendo, qvàm patiendo circa iſtud verſantur. III. ratione modi ſeu formæ, qva factum intentatum, cœptum, peractum ſit. Eandem obſervantiam lex tam publica, qvam privata, ut contractus, & aliæ hujusmodi diſpoſitiones in reſtrictione meretur. Et primo reſpectus adeſt legis, ubi ejusdem qvalitas. Secundò, qvalitas Perſonarū, tam earū qvæ disponunt, qvam earum circa qvas diſponitur. Tertio. Qvalitas modi proferendi: ubi loqvela, loc9, tempus.

XXIV. Qvalitatem legis conſideraturus, triplex rurſus occurrit reſpectus. vel ratio materiæ, cauſæ, naturæ. Ratio materiæ, qvatenus omnis lex ſeu contractus præ ſe ferat æqvitatem communem & ſingularem, odioſam vel favorabilem. Ratio cauſæ: Qvatenus lex vel contr: præ ſe habeat cauſam impulſivā aut finalē. Ratio naturæ: Qvatenus omnis lex aut contr: conſiderandus ut valeat, ut ſit clarus, & tandem de caſu dubitabili.

XXV. Qvid communis ratio, qvid ſingularis vulgat: eſt juris *vid: Ant. Fab: in Ipr: Papin: pr. ill. 2.* Vasqv. *illuſtr. controv: lib.* 1. *c. 50. n. 8.* Qvid impulſiva, qvid finalis explicat Eberh. a Middelb: *d. l. 79. n. 4.* Exempl: præbet *l. 1. §. 5. D. de poſtul:* Ubi Carfania (ſeu Arfania Val. Maxum. lib. 8. c. 3.) improba fœmina, cauſam impulſivam edicto dedit, ne mulier pro alio poſtulet, cujus cauſa finalis pudicitia huic ſexui congruens. *Ut* clare Ulpian: *d. l. §. 5. & l. 2. d. R. J.*

XXVI. Notandum hic qvoq; , cauſam finalem & rationem legis eadem ferme eſſe, ſed dum ratio aliâs dupliciter coſideratur. I. vel pro certa demonſtratione veritatis, id eſt, qva intellectus ex certis principiis ſenſitivis procedit ad aliqvid neceſſariò concludendum. II. Vel non pro ſimplici ratione, ſed ex deſtinatione hominis certa. Prima eſt una cum veritate, altera cum præſumptione. Seb. Medic. *d. tr. de LL. P. 3. qv. 9.* hinc priorem partē ſub Theſ: 27. alteram verò ſub Th. 33. ponam.

XXVII. Secundum materiam legis pono regulam. Qvotiens caſus in lege non expreſſus, ſcripta lex ſemper reſtringenda eſt, ut qvam paucisſime communis ratio mutetur. Steph. de Phedèr: d. l. Förſter. d. l. Sub hac regula comprehendi jura nova. Etenim ſic poſteriora Jura omninò ſtrictè obſervari vult ICtus. *arg. l. 11. 14. 16. 39. D. de LL. l. 2.| §. 10. D. N. Q. . l L. P. F.* Et ſi qvid aliud Imperatoria ſanctione deciſum, ita reſtringi Imperat: mandat, ne prius tot vigiliis excogitatum, penitus ſublatum cenſeatur. *l. 35. de Appell. l. 35. de inoff: teſtm. l. pen. de teſtam. l. 25. de Nupt: l. 2. de noxal: action. N. 20. c. 0.* Prout Dn. Carpzov: *in Ipr. Roman. Saxon: P. 2. C. 10. d. 13.* articulum 11. lib. 1. Landr reſtringit ad reſtitutionem bonorum, non ut inde inferatur, Matri uſumfructum de bonis liberorum competere. *Et in p. 2. C. 11. d. 3.* reſtringit ſaltem ad legitimos tutores. *in P. 3. C. 1. d. 6.* Legis Falcidiæ prohibitio refertur ad ſolam mortis cauſa donationem. Jus optionis ad unicum prædium. *p. 3. C. 15. d. 28.*

XXIIX. Hanc regulam, qvatenus de jure novo loqvitur, negat Förſter. *n. 11. d. tr: lib. 2. c. 2. n. 9. arg. l. 32. D. de LL. l. l. 5. C. de bon. qv. liber.* Affirmant Conſtant. Roger. *de Interpr. p. 5.* Matheſilanus. Neq; obſtant Förſteri allegatæ rationes qvæ omnes ſolis Imperialibus reſcriptis nituntur, de qvibus nullus dubitat, qvin legem in tali caſu extendere posſint. Sed hoc interpretibus legum non permiſſum eſt, penes qvos firma manet regula, jura nova tamdiu eſſe reſtringenda, qvamdiu aliud expreſſa ſanctione non introductum. *arg. Auth. ex Teſtim. C. de collat: Eberb. d. l. 78. n 13.* Neqve locum habet contrarium ſi dicatur in lege nova, non obſtante qvacunq; lege. Quia Secund. Eberh. *d. l.* poteſt intelligi de contrariis.

XXIX. Pertinent huc ſtatuta, Et in caſu, in qvo diſponunt idē qvod

jus

jus commune, ut Eberh. arg. contra Gr. *in l. 4. § prætor. D. de D. J. Vid.* Pedroch. *d. tr. n. 136.* Bdognet. in tot. ſerm. comm. *ad l. 6. D. de juſt. & jur.* Dn. Carpzov. *d. Jur. Rom. Saxon. p. 2. C. 14. d. 60.* Ubi tex. Landr. lib. 1. art. 5. reſtringit ad Succesſionem maternæ geradæ Sic. *p. 2. C. 21. d. 8.* Sic ſtatutum ſecundum qvod fæminæ etiam absqvè juramento SCto. Vellejano renunciare poſſunt, ad ſolam intercesſionem reſtringitur, non ſi ſeipſas debitrices conſtituant *p. 2. C. 16 d. 8.* Sic text. Landr. *l. 2.* art. 37. reſtringit ad caſum, qvo Dominus rem ſuam vel ignorantiâ vel errore amiſit, nec repetit. *p. 2. C. 53. d. 10.* Sic text Landr. Tit 2. def. 1. reſtringit ad ædificia tantum *p. 3. C. 31. d. 3.* Et qvæ plura de præſcript. Juris Civ. & Saxonici cõtra Berl. adducuntur d. *p. 1. C. 32. d. 52. p. 2. C. 32. d. 4. 5. 6. p. 2. C. 50. d. 1. & in Reſpons: lib. 4. Resp. 8.*

XXX. Seqvitur jam altera pars, qvædam eſſe favorabilia, qvædam odioſa. In qvibus odioſa reſtringenda eſſe, nemo unqvam negavit. Hinc dupondiis notæ regulæ *l. 86. 168. 183. de R. J. l. 18. D. de LL. l. 17. D. de J. & F. J. l. 18. § 6. D. de tranſact.* & econtra *l. 3. C. ex qvibus cauſis inf: l. pen. D. de pœn. l. fin. D. de V. & P. S.* & qvæ copioſè Förſter. *d. libr. 2. & in fin. reg. 5. 6. 8. 18. 53. 54. & 55.*

XXXI. Sed in hac regulâ maxuma controverſia, qvæ favorabilia vel odioſa dicenda. Utpote cũ nihil tam odioſũ, qvod nõ ab alterâ parte favorem præ ſe ferat. Sic pœnæ favorabiles, qvo omne noxiũ excidatur. Videatur Mantica de conj. ultim. volunt. lib. 7. tit. 1. qvæ ibi de legatis. In qvo dubio diſtingvunt Dd. inter id, qvod principaliter agitur Pedroch *d. tr. n. 230.* Sic Sct. Maced. odioſum; è contra Sct. Vellejan. favorabile, cum hoc provideat fragilitati ſexûs, illud in odium ejus, qvi agit, latum ſit. Ut ſcitè Martianus *l. 40. de cond. indeb:* Röch. Curt. *de conſve. Sect. 3. c. 2. per tot.*

XXXII. Hinc variæ dari poſſunt illationes, è qvibus unicam proponam de odio ſervitutis, qvæ ut conſideratur ratione diverſarum facultatum in homine, ita ſemper ſecundum iſtas reſtringendum eſt. Ut liberemur potius, ac obligemur *l. 1. D. de ſolut. l. 47. D. de O & A.* Unde renunciationes reſtringendæ. *l. 9. D. inoff. teſtm. Dn.* Carpzov. *P. 2. C. 11. d. 8.* Sic jus optionis reſtringitur ad venditionem tantum. *d. Jpr. Rom. Saxon. p. 2. C. 31. d. 15. 16.* Jus retractus ad bona Emphiteutica. *p. 2. C. 31. d. 7.* & ad publicas locationes modò

d. l.

d. l. d. 8. Pœna non petitæ inveſtituræ ad Feudum ſolum *P. 2. C. 38. d. 20.* Jus tigna advehendi à ſubditis ad ſola domicilia *p. 2. c. 52. d. 3. 4. 6.* & quidem unica tantû. *d. l. d. 7. 8. & ſimil.* Sic Dn. Aug. Strauch Patronus & Præceptor meus nunqvam ſine honore nominandus, in coll. de Succeſs: ab inteſtato. disp. 1. Th. 5. disp. 3. Th. 24.

XXXIII. Habitâ materiâ ordine jam venit cauſa legis, qvæ dum duplex impulſiva & finalis, ſecundum utrasq; pono regulam. In omni lege finalis cauſa conſideranda, ita ut ea ceſſante ipſam legem ceſſare intelligamus. Eberh. à Middelb. *d. l. 79. n. 14. & ſeqq.* De impulſiva eſt textus *l. 1. §. 16. D. de poſtul. l. 2. § fin. D. d. donat.* De finali *l. 75. D. ad SCt. Trebel. d. l. 77. §. 20. de leg. 2. l. 14. D. de adim leg: l. 30. C. de Transact: l. 14. C. de Procur: l. 7. D. de dot. l. 4. C. de revoc; donat.* Mantica, *de conj ult. volunt. lib. 6. tit. 14. n. 4.* Carpzov. *P. 3. C. 9. d. 20.*

XXXIV. Hujus Regulæ exempl. habemus in dote. Cujus cauſa finalis una cum ſit nuptiarum conſtitutio, altera oneris matrimonialis ſublevatio arg. *l. 7. D. de jur. dot.* l. 20. C. eod: ſeqvitur inde, qvod non ſubſecutis nuptiis *arg. l. 41. c. de jure dot.* vel ſubſecutis qvidem ſed morte ante datam dotem diſſolutis, dos peti neqveat. Dn. Carpzov. *in colleg. de jure fœmin. disp. 5. poſ. 1.* n. 43. Ant. Fab. in Cod. *lib. 4. tit. 7. def. 21. n. 2.* Cui regulæ hæc tamen additur limitatio, qvod dos peti poſſit licet antea non fuerit promiſſa. Nam cum duæ ſint cauſæ finales, ſequitur una ceſſante non ſtatim penitus dotem ceſſare, ut argumentatur contra Br. Joh. Schneidevv. *in §. non fuerat. Inſt. de Action.*

XXXV. Videre inde eſt, qvàm falſiſſimè Legem Oppiam reſtringit. L. Valerius Trib. Pleb. in orat. ap. Liv. l. 34. Qvaſi communi egeſtate ceſſante, luxui muliebri indulgendum. Nec minus notabile qvod contra hanc regulam & Haterii prolata, conſenſione vitiorum Aſinius Gallus injuſte obtinuit. Qvaſi luxus communis concedendus, dum Fabriciorum innocua paupertas ceſſet. Tacit. 2. *ut & 3. Annal.*

XXXVI. Naturam legis qvod attinet, prima Regula: Omnem legem interpretandam & ſic pro caſu incidenti reſtringendam eſſe ut valeat. *l. 12, 21. D. de reb. dub. l. 74. D. de hæred. inſtit. l. 21. D. de teſtibus. l. 4.* C. *de V. S. l. 5. D. de ſepulchr: violat: l. 1. §. 6. ad SCT. Syll. l. 10.*

D. de

D. de ſtat. homin. Förſter d. *libr.6. in fin.* reg: *27. 28. 40. 47. 59. 64.* Sub qva regulà comprehendo, ut eligatur via directa non obliqva. *l. 8. §. 1. D. de V. J. P. S. l 8. c. de R.V. l. 84. §. 1. D. de jure Fiſci. l. 14. D. ſi. ſen Vindic.* Id qvod aptiſsimum rei gerendæ. *l. 30. 80. 83. §. 1. D. de V. O. l. 67. de Cl. lib. l. 4. D. de Uſur. l. 15. §. 4. D. locat. l. 30. D de Damno inf.ec. lib. 35. C. de donat. int. vir. & ux. l. 3. §. 6. de. negot : geſt. l. 6. D. de capt. & poſtlim. revers* Et qvæ inde Dn. Carpzov. p. 2. c. 15. d. 5. n. 10. In qv: an contractus mulieris ſine curatore initus & tractu temporis convaleſcat. Et poſt de conventione contra l. 3. C. de locat: P. 2. C. 37. de. 7.

XXXVII. Secunda: ita legem ſemper eſſe reſtringendam ut ſit clara, nec captioſus ei affigatur ſenſus. *arg. l. 52. D. de hæred. petit. l. pen. D. de ad exhibend. l 5 de transact.*

XXXVIII. De hâc parte qvatenus qvis mentalium reſtrictionum myſteria adhibet, plura dicenda eſſet. Utpote qvarum ſtudioſos non ſaltem plebejorum animos cernimus, ſed & ipſius Jurisprudentiæ Sacerdotes, imò ipſos Imperatores & vivas qvaſi leges, ut loqvũtur N. 105. ICtos ſi ſpectemus, non immeritò juſtè à Paulo deriſus eſt, Nervæ illius teſte Tacit. 3 Annal. divini humaniq; juris ſcientis filius, qvod per feneſtras liberari ſervos putaret, qvia Januam non ingreſſi, *l. 9 in quib. cauſ. pig. contrah.* Imperatores qvod attinet, occurrit primò Auguſtus, de qvo Dio *l. 56.* dicit, Eum ſervos per Prætores publicè manumiſiſſe, qvò in Domino ex ſervis qværeretur. Auguſtum ſecutus eſt Tiberius, Callidus & ſecundùm Tacit. *2. Annal.* novi juris repertor. In Libone Drusò *d. l. 2.* Annal. in Silanò. *3. Annal.* In Sejeno, ſecundùm Juvenalem *Sat: 10.*

De cujus filiâ & atrocius refertur exemplum, à Tacit: *5. Annal.* Filiam Sejani cum triumvirali ſupplicio virginem affici inauditum eſſet, laqveum juxta prius à Carnifice compreſſam, deinde occiſam eſſe. Sic Dio. *l. 47.* Impuberem, qvo eodem ſuppliciò puniri poſſit, oportuiſſe prius togam virilem ſumere.

XXXIX. Plebejos qvod attinet, varia exempla dari poſſint, ſi inſtituti noſtri ratio pateretur. Ut in uſuris videre eſt, *l. 26. 28.* C. *eod. In Sct. Macedon. l. 3. §. 3. & 5. l. 7. §. 3. & 4. h. t. l. 1.* C. *eod.* Sic dum numerus in Candidatis præpollebat, *Tacit: 2. Annâl.* ficta adoptio. Tacit. *14. Annal.* Fraudulenta manumiſſio confitente Scevino ap. Tac.

 15. An-

15. *Annal.* Aſylorum ad flagitia uſa libertas. Tacit. 3. *& 4. Annal.* Fi-
cta Emancipatio. *Dio.* 39. *& ſimil.*

XL. Et hæ impoſturæ non in maſculis ſaltem permansère, ſed & muliebri illuſum fuit ſimplicitati aut ipſæ mulieres alios ludere conatæ ſunt. Prioris exempla tradit nobis Sct. Vellejanum. Qvod ne mulieribus ſuccurratur non tentatum? ut vel defenſoriò, *l. 2. §. 5. D. h. t.* vel propriò nomine, *l. 8. §. 14. D. l. 7.* c. h. t. vendendo rem ſuam, *l. fin.* vel rem à marito ei eam ob cauſam donatam obligando, *d. l. fin.* non interceſſiſſe videantur.

XLI. Poſterioris exempla non deſunt, & in privatis qvidem rebus Dum eòdem SCTô, alios decipere tentant. *l. 2. 13. D. h. t.* Semetipſas debitrices conſtituunt, *l. 19. §. 5. D.* h. t. Imò qvod abſurdius & in honeſtis fœminis ipſa morte pejus arbitratum, teſt: Tac: 2. Annnal. ſub fin. Imò qvod abſurdius inqvam. Dum evitandæ adulterii pœnæ causâ lenocinium faciunt. *l. 10. D. ad L. Jul. de Adult.* Prout ne tali fraude ulli refugiũ eſſet, graviter hoc puniens introducitur Tiberiꝰ à Sveton. c. 35. in ejus vita:

XLII. Publica ut tangam; qvæ non Dido, ſub terræ ſpatio qvantũ bovinũ comprehenderet coriũ, intellexit. Plutarch *in vita Hanib.* Et ne antiqva ſcrutemur. Qvomodo nõ de reſtrictione legis salicæ cõqveritur Autor iſte Gallus in lib: qvem le conſeillier de Stat. inſcripſit? Qvaſi lex ea dum fæminas regim̃inis incapaces cẽſet, nõ ſimul & Regũ tutrices excludat. Vid. Neuenh. de jur: Vid. diſp. 8.

XLIII. Tertia regula de natura legis eſt, legem reſtringendã eſſe, ut loqvatur de re communi & incidenti arg. l. 6. C. de pignor: action. Ut decidat caſus futuros Medic *d. tr. q. 4. ip. 35.* Ut ſit de caſu dubitabili *arg. l. 9. D. de Edict. Carbon:* Negat hoc Coraſius.

XLIV. Præter hanc naturam omnibus communem & ſingulæ res ſpeciales habent. Qvæ æqve reſtringũt una ac cœteræ. Sic verb: conſenſus excludit vim ac metum l. 2. §. 1. de judic: l. 116. de R. J. Sic natura moræ ut non fiat absq; interpellatione. *l. 87. §. 1. de legat.* 2. In b. f. judiciis ut ſemper exceptus ſit dolus. *l. 35. D. de pact.* Ut Transactio fiat de re dubia *l. 1. D. eod.* Natura Empti *l. 4. D. de Uſur:* Ædificii. *l. 24 §. 4. D. de dam n. infect.* Jus dotis perſonale, 2, Dn. Carpzov. d. *Ipr. R. S. P. 1. c. 28. d. 96.* Ant. Fab. in C. *lib. 2. d. 1. 3. & ſeq.* In Feudo ſub perſona hæredis legitimus intelligitur, D. Carpzov: *p. 2. c. 47. d 12.* Natura locati *l. 63. D. de Ædil. edict:* Arbitrariar:

Actionum *l. 44. §. 13. D. relig. & ſumt. funer: l. 4. D. de eo qv. cert. loc.* Et qvæ generaliſſima, ut major ratio ſit damni vitandi, qvã lucri captandi. Dn. Carpzov. *d. Jpr. Rom. Saxon. p. 1. c. 28. d. 92. 93. 94.*

XLV. Et hæc de prima parte qvalitate ſcilicet Legis, ſeqvitur jam altera pars, qvalitas perſonarum. Qvæ ſunt vel perſonæ diſponentes, vel perſonæ qvarum ob cauſam res diſponitur. Utræq; vel ſunt peritæ vel imperitæ. Ratione perſonarum diſponentium pono regulam. In omnibus legibus & ſententiis reſtringenda lex ſecundum peritiſſimarum intellectum, in contractubus verò, teſtamentis, prout & imperitæ loqvuntur. Steph. de Pheder: *in d. tr:*

XLVI. Ratio regulæ eſt, qvod circa legum promulgationem peritiſſimæ verſentur, unde non credendum aliter ac ſecundum optimum intellectum qvem eſſe prolocutum. *arg l. 36. D. de l Evict. l. 124. de V S.* Econtra dum lex conſideranda ut valeat, & mens potiſſimũ ſpectetur, ruſticitati ignoſcendum eſt. *arg. l. 15. C. de teſtam. l. 1. §. vet. D. de ventr: inſpic: l. 34. de R. J. l. 31. §. 20. D. de Ædilit edict.*

XLVII. Pertinet huc gradus adfectionis reſpectu perſonæ, cujus cauſa qvid diſponitur. Nam ſi non adpareat, de qvo ſenſerit teſtator ante omnes patrisfamilias conſvetudo, dein regionis, in qva verſatus, exqvirenda eſt. Mens patrisfam: legatarii dignitas vel caritas & neceſſitudo. Item ea qvæ præcedunt, & qvæ ſeqvuntur. *l 50. §. fin. D. de legat. 1. l. 75. D. de legat. 3.*

XLVIII. Ratione conſvetudinis adeſt textus in *l. 52. §. 4. D. legat. 3.* Qvæ duplex tam diſponentis, qvam regionis, Illa priorem locum obtinet, *l. 19. D. de C. & D. l. 3. C. de lib. præterit.* Ut in *d. l. 52. § 5.* ibi: *ſtudioſꝰ ſtudioſo. In l. 18. §. 1. de ſ. & ſ. l. ibi inſtrumẽtũ piſtoriũ. In l. 1. D. de tritic. legat. l. 9. D. eod.* Sic in obligatione generali nõ præſumuntur ea obligata, qvæ qvis vero ſimiliter ſpecialiter eſſet obligaturꝰ. *l. 6. de pignor. & hypoth.* Sic via in ſervitutibus conceſſa videtur, ut qvã pauciſſime ſibi ipſi qvis noceat. *l. 9. D. de ſervit: arg. l. 15. D. de ll. & ll. L. l. 49.* Atqvi huc pertinet qvæ late Mantica *de conject. ult. volunt: lib. 3. tit. 8. 9. 10.* Simon de Prætis lib. 1.

XLIX. In perſonis circa qvas diſponitur, videmus præſumptionem ex dignitate legatarii. *l. 18. §. 1. D. de Judic. lib. in mala ex* militia *l. 6. 1. 3. D. pœn. milit. l. fin. c. ad SCT. Mace* unde & Hartm. Piſtor. *lib. 1. qvæſt. qv. 16.* n. In Feudo dotem in ejꝰ utilitatem verſã fuiſſe præſumi,

ſi

ſi dotem numeratam eſſe probetur. Dn. Carpzov. in *diſp. de jur, Fœmin: ſingul. diſp. 5. Th. 9. n. 18.* Sic ex propinqvitate præſumitur affectus *l. 69. §. 3. D. de leg. 2. l. 57. D. ad Sct. Trebell. l. 102. D. de C. & D.* Unde ſvaviter infert Bartolus, qvem ſeqvitur Mantica *de conj. ult. vol. lib. 11. tit. 19. n. 31.* Si qvis uxori annuū legatum reliqverit iis verbis: donec caſte vixerit, intelligendū eſſe donec alii non nupſerit. Qvia pleriq; maritorum, amorem ſuū aliis invident. Vel ut Olderad. conſ. 16. exemplumm adducit, Pater præter legitimam filiæ aliqvid legat ea conditione ne alii nuberet ac mercatori, Filia paret legi, ſed mercatore mortuo, nubit nobili. Qværitur hinc an legatum fœmina amittat. *Vasqv. l. 1. c. 30. n. 17.*

L. Huc pertinent, qvæ copioſe de ſcripti & voluntatis ſententia Rhetores proferunt. Qvorum anteſignani Cicero, Qvintilianus & poſt. M. Annæus Seneca. Qvale exemplum Prothagoræ & Evathli eſt ap. A. Gelliū Noct. Attic. *lib. 5. c. 10.* Et apud eundem *lib. 9. c. 16.* egregium aliud qvod ita ſe habet. Lex & Vir fortis præmio qvod optaverit donetur. Qvi fortiter fecit, petit alterius uxorem in matrimonium & accipit. Maritus depulſus itidem fortiter facit, & uxorem repetit. Qværitur an rectè. Sic *d. b. l. 9. c. 15.* Lex eſt. Septem judices de reo cognoſcant, eaq; ſententia valeat, qvam plures adprobaverint. Duo judices reum exilio mulctandum cenſent, duo pecunia, tres reliqvi capitis pœnam imponunt, qværitur hinc qvomodo legi ſatisfiat, cum tres reſpectu duorum plures, econtra duæ diverſæ ſententiæ, ratione unius potiores ſint. Simile habet M. Ann. Seneca, Lex eſt Liberi, Parentes alant aut vinciantur, Duo fratres inter ſe diſſident, unus eget, alterius filius patruum alit, Patre id comperiente, abdicitur. Tacet filius, & adoptatur à Patruo. Patruus locuples factus eſt, cœpit alter indigere qvem filius alit vetante hoc patruo, rurſus abdicitur. Sic Lex eſt Rapta raptoris aut mortem optet, aut indotatas nuptias. Qvidam duas rapit, qvarum altera mortem optat, altera nuptias. Et qvod exemplum Br. de Chirurgo affert. Hottomannus *in l. 34. D. de negot. geſt.* Qvintilianus *lib. 7. c. 6.* Sed hujusmodi diſceptatio non tam in ſcriptis JCtorum tractatur, qvam potius ad controverſias pertinet. De qvibus hic plura recenſere nimis longum foret.

LI. Tertia nunc obvenit pars, qvalitas ſcilicet modi proferendi. Ubi triplex rurſus reſpectus vel loqvelæ, loci, temporis. Lo-

ove-

qvelam qvod attinet,ea duplex vel definita,vel indefinita. Definita oratio conſideratur vel ratione ſingulorum verborum,vel ratione compoſitæ orationis. Ratione ſingulorum verborum rurſus duplex eſt,vel ratio omnibus verbis communis, vel huic vel iſtis ſpecialiter attributa.

LII. Singulorum verborum conſideranda venit natura , qvæ colligitur vel ex Etymologia. *arg.l.1.D.de A.vel A.L.l.1.C. de cad. toll.* Carpzov.*P.3.C.34.d.5.* Vid:Steph. *de Phed.p 3. qvæſt.16* Dn. Eichel *d.Diſp.c.15.* de qvibus *tot.tit. D.& C.de V.S.* ibiqve Alciatus,Gœdd. & ſimil.

LIII. Specialiter reſtrictio nonnullis vocabulis attribuitur. Ut ſunt dictiones propriè reſtrictivæ.Qvales,prout,qvatenus,juxta, qvâ,qvoad,ſecundum.

LIV. Taxativæ. Qvales donec,tantum,duntaxat & ſimiles. Eberh. àMiddelb.*l.111.arg.l.1.§.1.D.ſi mēſ.falſ.l.19.D. de petit. hæredit.l. 7. §.3.D.de dot.*Dn. Carpzov. *P.2.C.27.d.7;* Qvod licet nonnulli Doctorum negent,ut Roger.*P.5.n.21,arg.l.12.C. de præd.minor.ſine decret.l.2. C.de patr.qvi fil.diſtraxer.* Sed hoc affirmare naturam dictionis taxativæ negare eſt. Cæterum de Principum poteſtate nullus dubitat,de qva dd.ll. loqvuntur. Et ſanèpro noſtra potius eſt ſententia,qvod illæ leges ſemper decidant in caſu dubitabili. Nec à JCtis aliter qvid profertur niſi adpoſito verbo puto,autumo , aut ſimili inductivo, non conſtitutivo.

LV. Hinc qværunt: Utrum præter cauſas ex hæredationis in *N.115.*expreſſas,& aliæ admittendæ æqve graves? Qvod negandum puto cum Hunnio. Utrum præter cauſas revocandæ donationis *l. fin C.eod.* & aliæ dentur.Qvod nego. Carpzov.*P.2.C.12.d.31.*SicCarpzov. *P.2.C.16.d.10.* vocab. allein reſtingit ad res dotales tantum. Sic per vocab. donec.infertur Fœminā ſemel per maſculū excluſam,nō in perpetuum excluſam manet. *P.3.C.28. d.5.* Et qvæ in qvæſt. Utrum fratrum filii Patruo ſuccedat in capita, an in ſtirpes,ex vocab. tunc contrà Bachov. infert Dn.Carpzov. *P.3.C.18.d.3.*

LVI. Exceptivæ. Qvæ itidem in caſu exce[illegible]ſtinguntur. Differunt autem à taxativis. Qvod hæ unum individuum ponant, totum autem genus removeant;illæ faciant contrarium. Eberh. à Middelb. *d.l.111.& 112.*Dn. Scharf. *in Inſt. Logic.*

LVII. Ratione compoſitæ orationis primo obveniunt verba e-

nunciativè prolata. De qvibus regulæ? Qvanqvam regulariter nihil diſponant, Vasqv: *lib.1.controv.c.30.n.8.* Sæpius tamen reſtrictivè poſita judicantur. Dn. Carpzov. *d.Ipr.Rom.Saxon.P.2.C.8.d.29.* Mantica *de conject.ultim.volunt. lib.3. tit.2.* Anton.Fab. *in Cod. lib.6. tit.16.d.2.*

LVIII. Secundò ſtructura ſermonis, ſecundum ſenſum Grammaticum. Javolenus *in l.8.de A.& A.Legat.* Förſter. *de interpr.* Hillig. D.Enucl. *1. comm. 15: lit. E.*

LIX. Antecedentia & conſeqventia. *arg.l.17.l.50.D.de legat.1.* Sic plerumqve qvæ in præfationibus conventa dicuntur, cenſentur in re ipſa repetita. *arg l.119. l.134.D.l.1.C.de lib. præterit.l.36.l.89.D. de C.& D.l 8.§.16.D.de transact.l.fin.D.de hæred. inſtit.l.9.D.de I. & F. I.l.1. D.de B. Q. L.*

LX. Pono inde regulam: Qvoties ſpecialia præceſſerunt, generalia ſeqventia ita reſtringenda, ut non plus ac præceſſit deciſû videatur, *arg.l.41.§.5.D.de V.& P.S.l.80.de R.J. l.41. D. de pæn.l.119 l.134.§.1.de V.O.l.10.C.famil.erciſc.l.16.§.2.D.de C.& A L.& optimè l. 26. §.3.D. ex qvib.caſ.major.l.99. de legat.3.l.4.in fin.D.de pen. legat. l. fin. D. de hæred.inſtit.l.89.D.de C.& D.l.3.§.3.& 4.D.de lib.&poſth.l.1.C. de lib. præter.l.fin.§.licet D.de J.& F.I.* Etiamſi addita ſint verba *omne qvodcuuq;* & ſimil. *arg.l.78.§.1.D.de leg.3.l.illud D.ad L. Aqvil.l.11.D. de pact.dotal.*

LXI. Sub his antecedentibus & conſeqventibus referri poſſunt, qvæ paſſim de doloſis reſtrictionibus habent Hiſtorici. Sic Hippias obſeſſo fidem dat, ſi paciſcendi cauſa urbem egrederetur, ſalvum eum rurſus in eandem remiſſurum. Egreſſum, remittit qvidem, ſed non ſalva urbe, qvam prius occupaverat. *Thucydides.* Lacedæmon ille inducias ad certas dies hoſte pactus, nocte eum aggreditur. Q.Fab. Labeo, dum Antiocho dimidiam partem navium tradere teneretur, omnes diſſecuit, ne ulli uſui eſſent. *Val.Maxim.l.7.c.3* Rhadamiſtus Mithridati jurat, nec veneno nec ferro vim ei allaturum, captum, injectâ multâ veſte necat. *Tacit.12. Annal.* Belliſarius Glimero R[illegible] Vandal. capto promiſerat eum ferreis catenis ligatum in triumpho non ducturum, qvem aureis obſtrictum duxit. *Procop.de Bell.Vandal.* Sic Ludov.XI.Francor. Rex, cum Ludovicum de Luxenburg ad ſupplicium qværeret, amicum in modum l ſcribere, ſe capitis tanti viri plurimum egere. Qvæ loqvendi ratio & pœnam & conſilium ſignificat, *Bodin. lib.5. de Rep.c.6.*

LXII. Titia iſta Romana Virgo, dum à Sabinis in præmium proditionis omne qvod læva portarent pacta eſſet. Clypeos poſtmodo & ſic mortem accipit. Liv. *lib.1.* Sic notũ Romani iſtius minimè Romanum ingenium, apud Liv. *decad.3.lib.2.& 4.* Qvi dum jurejurando ſe in caſtra Hannibalis reditu rum obſtrinxiſſet, egrediens qvaſi aliqvid oblitꝰ primo rediit, qvo fallaci reditu ſe jurejurando exſolviſſe putabat. Cui exemplo Germana eſt Germani iſtius Epiſcopi Moguntini hiſtoria. Qvomodo ingenio minimè Germano Albertũ Francon. Ducẽ eluſit. Æn. ſn deſcript. Europ. Sylv. Vasqv. *lib.contr. c 30.* Et qvem fugit graviſſimã illa circumventio nicht ewig/nicht ewig. Thuan. *l.4.& 21. Hiſtor. Bod. in lib. 5. de Rep. c.6.* *VVar. ab Erenb.* ſeu Eberhardus à Weihe in tr. de fœder. *lib.2.c.2.*

LXIII. Habita qvalitate ſeqvitur locus, de qvo ſub conſvetudinẽ regionis ſat dictum. *arg. l.1.D. de exercit.act.* Et tandem.

LXIV. Tempus. Ubi duplex conſideratio, tam ratione legũ qvã contractuum. In prima regula qvidem eſt loqvi de futuro, ſed anxia hic controverſia, Utrum ratione temporis præteriti leges in jure poſitæ reſtringi poſſint. Qvod negat Albericus Gẽtilis, Affirmantis Förſteri lib. 1. placet ſententia. Sed de hac parte qvatenus ex hiſtoriis leges interpretationem capiant, exactius qvid dicere, exiguæ hæ pagellæ non admittunt, & exactiori curæ ſeponendum eſt.

LXV. Ratione contractuum itidem controvertitur. Utrum futurum an præſens tempus ſpectandum ſit. In teſtamentis præſens volunt *l.7.l.fin.D. de A. et A.L.l.28.§.1.D. de C. et D.l.28.§.2.l.fin. D. de lib. legat.l.33.[illegible].41.83.102.D. de leg.3.* Dn. Carpzov. *p.2.C.18.d.8.* Futurum reqvirunt. *l.fin.D. de opt.legat.l.14.§.27. D. de C.& A.L.l.51.D. de leg.2.*

LXVI. Hâc in re cum Ant. Fabr. *in Cod. lib.8.tit.9.def.44.* Ex Oldrado ſtatuo præſens tempus potiſſimum ſpectandum eſſe. *arg.l.76. §.1.l.89.D. de V.O.l 7.C. de LL.* Niſi fortaſſis verba penderent à mera facultate teſtatoris. *arg.l.tales. De legat.1.* vel res ſit cõſumptibilis. *l. ſi ex toto D. de leg.1.* vel favor rei vel perſonæ aliud ſvadeat. De qvibus limitationibus vid. Manticam *d.tract.lib.3.tit.9.& 10.per tot.*

LXVII. Atqvi hæc ſunt, qvæ de reſtrictiva interpret. capere potui, qvam generalibus hiſce regulis tradere aggreſſus ſum. Et qvamvis nulla harum ſit, qvæ non ſuas patiatur exceptiones, nihilominus ex prædictis facilè patebit, ſi qvælibet per alterã reſtringatur.

LXVIII. Exemplum ut proferam. Regula eſt ſtatuta ſtrictè eſſe interpretanda. Et alia: legem qvamlibet interpretandam eſſe, ut

valeat. Seqvitur inde qvod in eo caſu, in qvo ſtatuta certè reperiuntur omnimodò valere qvid debeant. Dn. Carpzov, *de Ipr. l.3. Conſt.2. def.* Secūdo qvando contractus conſiderandus ut valeat, atqvi nihil qvod cōtra jura ſit valere poſſit. Seqvitur qvodlibet factū ita interpretandum eſſe, ne juri contradicat, etſi & à proprietate verborum recedendum ſit. Mantica de conj. *lib.3. tit.5*, Atqvi ſic omnes limitationes habentur. Qvæ ut creberrimis repetitionibus à Dd. præſertim Ultramontanis prolatæ, tantis qvoqve opinionum tricis nos involvunt, qvantis vix gordius aliqvis nodus exſolvi poſſit.

Tuo candori Benevole Lector me committam. Qvi ſi forè erraverim; ſpero veniam in ea re, in qva & maximi Jcti ſe mutuò reprehendunt. Teſtis eſt Ariſto, qvi à Paulo corrigitur *l.83, §.1 de V. O.* Sic Pedius *d.l.83. §.5.* Nec ſubtiliſſimus edicti perpetui autor Julianus, (ut in eo finiam, à qvo orſus ſum) notę maculam evaſit. *in l.20. D. de jure Dot.* Confido hinc Te nec tuam benevolentiam ei denegaturum, cujus ætati nec jura communia, imò fermè nec Saxonici Juris rigor reſtitutionem in integrum denegant.

C O R O L L A R I A.

Ex Jure Publico

Succeſſio conventionalis in illuſtr. perſon: de jure comm. defendi poteſt. In Electoratu nepos primogeniti excludit patruum.

Ex Jure Canonico.

Parentum conſenſus de neceſſitate in nuptiis lib. reqviritur.

Si qvis ſtupratam in uxorem duxit, qvam virginem credebat, [illegible] tegitur ſtare matrimonio.

Ex Jure Civili.

Negotiorum geſtor levem præſtare debet culpam.

Fidejuſſori obliganti ſe tanqvam principalem, non competit benef. ordinis.

Ex Jure Feudali.

Legitimati per reſcriptum Principis non ſuccedunt in Feudo antiqvo.

Feuda regalia conferunt dignitatem.

Ex Jure Saxonico.

Lecti in diverſoriis publicis pro immobilibus habendi

Renunciatio hæred. paternæ à filio & abſq; juramento ſubſiſtit.

Ex Novell Elector.

Contributiones Feudales qvas Präſentgeldt *vocant heredes allodiales ſolvere tenentur.*

Vidua etiam conſtituto dotalitio, electionem habet dotem petendi.

DEO SOLI GLORIA

BIBL. ... ROMA ...